

*Exod. 8. v. 15. 32. c. 9. v. 34 35.* Exempla similia alibi etiam occurrunt.

18. Notandum igitur 1. Deum non facere voluntates malas, nec operari malitiam in cordibus impiorum, sed permittere. 2. Quæ *permissio* non est otiosa: sed Deus determinat metas quousq; permissurus sit, & quamdiu: quando & ubi repressurus sit impios. 3. Deus multas impiorum electiones impedit, multa consilia, cogitationes multas mutat & invertit, conatus reprimat, & aliò vertit: vel propter Ecclesiam, vel ut ipsi sibi exitium accersant, 4. Malitia illa, quæ & à diabolo excitatur, & ab ipsa hominum voluntate oritur, Deus sæpe utitur ad irrogandas meritas pœnas illis, quos iudicio suo visitare vult. 5. Pessima impiorum consilia, & perniciosissimos conatus, Deus Ecclesiæ sæpè vertit in bonum.

19. Nota esse debet distinctio de actione Dei generali & speciali.

20. *Generalis* est, quæ universaliter se extendit ad omnes & singulas creaturas, conservans eas tantisper, donec vult eas conservari: idque secundum generalem, communem & usitatum cursum in natura ordinata. Scholastici vocant generalem influentiam.

21. *Specialis* dicitur dupliciter. 1. Quando Deus præter, imò sæpè contra ordinem secundarum causarum credentibus opitulatur, & leges naturæ vel mitigat, vel planè mutat.